



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio IV. An Vnitas sit adæquatum & proprium attributum Entis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

Quæst. IV. An Vnitas sit, &c. 265

dem lapidem esse, & non esse ipsum; ad primam consequentiam distinguo illam, erit vnum ficti-
65, dentaliter, nego.

Ad primum secundæ sententiæ respondeo, con-
cedendo maiorem, & negando minorem; ad se-
cundum concedo maiorem, & nego similiter mi-
norem; ad probationem respondetur eadem ratio-
ne posse probari, negationem albedinis; seu non
esse album esse de essentia hominis; siquidem il-
lius contradictoriū, scilicet esse album non includ-
itur in essentia hominis; dicimus igitur vnum
ex illis contradictorijs necessario sequi ad essen-
tiam vnius, non tamen constituere essentialiter
vnum.



QVÆSTIO IV.

An vnitas sit adequata, & proprium at-
tributum entis.

SECTIO I.

Sententia Adversariorum proponuntur.

1. Prima sententia est P. Vasquez, 1. p.
disp. 12. cap. 3. tom. 2. docentis vnum non
converti adæquate cum ente; probatur
hæc sententia sic.

2. Primo membrum dividens non potest adæqua-
te converti cum toto membro diviso: sed ens est
divisum, & membra dividentia secundum Aristo-
telem 10. met. cap. 1. sunt vnum, & multa; ergo ne-
que adæquate convertitur cum vno; neque cum
multitudine; ac proinde vnum non erit adæqua-
tum attributum entis, quia adæquatum attribu-
tum convertitur cum essentia, cuius est attri-
butum.

3. Confirmatur, quia quæ essentialiter opponun-
tur, non possunt eidem adæquate convenire;
sed vnum, & multa opponuntur essentialiter:
ergo non possunt eidem enti adæquate conve-
nire.

4. Secundo, si vnum converteretur cum ente, cui-
cunque conveniret ratio entis, conveniret etiam
ratio vnius; sed non convenit ratio vnius, cui-
cunque convenit ratio entis; ergo vnum non conver-
titur cum ente. Maior est evidens; probatur mi-
nor; multitudini hominum, v. g. convenit ens rea-
le; sed multitudini hominum non convenit vni-
tas; ergo alicui convenit ens reale cui non conve-
nit vnitas; probatur maior; multitudo hominum
est aliquid; non enim est nihil, aut figmentum ra-
tionis; sed omne illud, quod est aliquid à parte rei
est ens reale: ergo multitudo hominum est ens
reale.

5. Secunda sententia asserit, nullum attributum
addens negationem, esse proprie attributum; unde
si vnum addit negationem supra ens, non est pro-
prie attributum entis; sic P. Hurtado in metaph.
disputat. 3. sect. 3. dicto 1. hæc sententia probatur
sic.

6. Primo attributum pro formali est idem à par-
te rei cum essentia; sed negatio, & privatio non est
idem à parte rei cum ente; ergo. Probatur minor:
attributum solum distinguitur per rationem à
R. P. Ideph. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. 1.

subiecto, alias non erit attributum, sed stricta
passio.

Confirmatur, quia attributum est conceptus 7
secundarius eiusdem subiecti solum nostro modo
conciipiendi supponens primum; & quidditati-
vum; sed negatio plusquam ratione distinguitur
à subiecto, & præterea in re supponit conceptum
primum, & quidditativum; ergo.

Secundo attributum potest in abstracto præ-
dicari de essentia; ut Deus est omnipotentia, ratio-
nalitas est risibilitas; sed negatio, aut privatio non
potest prædicari in abstracto de ente; sunt enim
falsæ hæc enuntiationes, ens est negatio; entitas
est privatio.

Ultimo; quia illud attributum, quod dicit ne-
gationem, convenit vni voce cum ente rationis in
ratione negationis; sed illud, quod convenit vni-
voce cum ente fictitio non potest esse attributum
entis realis, v. g. Dei; ergo vnum, quod addit nega-
tionem, non est attributum entis; maior sic pro-
batur, quia si præcise ratio negationis spectetur,
quia merum nihil est; non habet magis ut dicat
ordinem ad ens reale, quam ad ens rationis, quo
fit, ut ab omnibus negationibus una ratio præ-
cindi possit; ergo.

SECTIO II.

Aliqua certa notantur.

Primo advertendum est, duplex esse prædica-
tum conveniens enti ut sic, aliud essentialiale,
& primum, aliud secundarium; primum est
definitio entis, v. g. non repugnat existere realiter
vel habens essentiam realem; secundarium est, de
quo nunc controvertitur, & hoc est triplex, v. g.
vnum, verum, & bonum, quæ prædicata commu-
niter secundario convenirenti dicuntur, quia au-
tem omnibus entibus conveniunt, ita ut nullum
sit ens, quod non habeat vnitatem, veritatem, &
bonitatem, & videantur reciprocari cum ente;
ideo de illis, & præcipue de primo, scilicet vno
interrogatur, an sit attributum proprie, & adæ-
quatum vel proprietatis respectu entis ut sic. Ad
quod advertas, licet, quod dupliciter potest ali-
quid proprietatis alterius nominari proprie, & se-
cundum rem vel secundum conceptibilitatem: Ad
hoc autem ut sit proprietatis vera alterius, ut ait
P. Suarez in intr. disp. 1. sect. 1. quatuor condiciones
ut minimum requirit; prima est ut ipsa proprie-
tas sit aliqua res proprie, id est positiva entitas,
ut adnotat D. Thomas opusc. 92. & in 1. disp. 4. &
quodlibet 24. & 5. met. lect. 7. nam si nihil est, vel si
est negatio, non potest proprietatis vocari in rigo-
re loquendi. Secunda est ut distinguatur ab illo,
cuius est proprietatis à parte rei adæquate, & to-
taliter; v. g. risibilitas distinguitur à rationalitate;
nam si sit idem cum illo, potius essentia, vel de
essentia eius debet dici, quam proprietatis. Tertia
ut adæquate illi conveniat, seu cum illo con-
vertatur; agimus enim de proprietate, quæ per se
secundo aliquid convenit; nam hæc sola est, quæ
sub scientiam cadit & demonstrari potest. Quar-
ta denique ut subiectum, seu id cuius est proprie-
tas non sit de intrinseca ratione, & essentia ta-
lis proprietatis; quia ut Aristoteles dicit lib. 7.
met. tex. 18. & 1. poster. cap. 18. tex. 35. subiectum
non cadit intrinsece, & essentialiter, sed solum ut
additum in definitione passionis, alioquin mutuo
L l ita

ita se haberent vt passio conveniret subiecto per se secundo; subiectum autem passioni per se primo, quæ videtur aperta repugnantia; sed fieri non posse vt respectu entis sit aliqua proprietas, quæ has omnes condiciones habeat; nam si proprietas realis positiva est intrinsece, & essentialiter est ens reale, quia neque omnino non est, neque solum ens rationis esse potest; quia quod nihil est, vel solum per rationem fingitur, non potest esse passio realis, & vera entis realis: debet ergo esse aliquid reale: ergo ens reale, secundum conceptibilitatem autem dicitur proprietas, etiam respectu alterius aliquid prædicatum ipsius.

- 11 Ad quod hæc requiruntur, primo distinctio, non secundum rem adæquate, totaliter, & absolute, sed tantum secundum rationem, vel solum inadæquate à parte rei. Secundo, vt dicantur secundum convertentiam, adæquanturque inter se. Tercio, quod vnum sit radix alterius, aut formalis inadæquate, aut solum virtualis à parte rei, id est quod hoc prædicatum sit talis conditionis, & naturæ, vt quantum est ex se causeret aliud quod vocatur illius proprietas, nisi obstarer identitas inter illa, vel sub conditione, quod si esset producendum, à nullo alio, quam ab isto produceretur. Exemplum huius habemus, tum in quantitate tum in attributis divinis, nam in quantitate datur aptitudo ad recipienda accidentia, quæ non est de essentia quantitatis, sed illi secundario ita convenit, quæ si non haberet identitatem cum quantitate, & deberet dimanare ab aliquo, tanquam à subiecto necessario dimanaret ab ipsa quantitate.
- 12 Item nota multoties prædicata, quæ dicuntur de aliquo subiecto, aliud dicere, & significare clare, & quoad explicitum ab illo, quod per nomina volumus explicare, v. g. infinitudo sonat negationem, & carentiam terminorum, & nihilominus per illa non intelligimus, aut intendimus declarare negationem, seu carentiam, sed potius perfectionem, quæ omnia superat, & à nullo potest superari.
- 13 Secundo advertendum est, quod multitudo, & vnitas possunt sumi dupliciter, multitudo enim sumitur primo pro pluribus entibus excludentibus omnem vnionem realem, & hæc dicitur absolute multitudo, licet vnitas secundum quid extrinsecè, & omnino analogice appelletur; secundo sumitur multitudo pro pluribus entibus vnitis inter se, aliqua vnione, & hæc dicitur multitudo secundum quid, & est idem, quod vñi compositum. Ex alio capite vnitas potest dividi in vnitatem omnimodam, qualis est vnitas rerum simplicium excludentium omnem multitudinem partium à suo conceptu, & hæc ab aliquibus vocatur vnitas simpliciter, secundo modo sumitur vnitas, quam aliqui nominant, non omnimodam, & absolutam, qualis est vnitas rerum compositarum, & vnitas continui; quod Aristoteles vocavit vnum actum, & plura in potentia.
- 14 Tandem adverte quod sicut ens strictè sumptum, teste Aristotele 5. met. tex. 2. & D. Thomas 1. part. quest. 48. art. 2. ad 2. significat entitatem rei vere, & proprie positivam, sic etiam ens late sumptum accipitur (vt supra diximus agentes de nominibus entis) pro quocunque prædicato, quod de aliquo subiecto affirmatur, sive sit negatio, sive privatio; omnis enim affirmatio fit hoc verbo *sum*, & hæc de causa prædicatum, li-

cet nullam entitatem, & perfectionem ponat in ipso subiecto, si tamen de illo affirmetur, lato modo appellatur ens; huiusmodi autem sunt prædicata, quæ expriment negationem; v. g. vnitas quæ explicat negationem divisionis in se.

SECTIO III.

Nostra sententia varijs conclusionibus explicatur.

SVBSECTIO I.

Ponitur prima conclusio.

Vnum non est vere, & proprie passio, seu proprietas, si in rigore proprietatis sumatur, quatenus illa distinguitur ab attributo; sic D. Thomas 1. p. quest. 48. art. 2. ad 2. & in 1. dist. 19. art. 1. & quest. 1. de veritate, art. 1. & 1. p. quest. 5. 11. & 16. sumitur aperte ex Aristotele multis in locis, & præcipue ex 4. met. cap. 1. & 3. met. c. 6. 9. met. cap. 8. tex. 4. 5. & 9. & est communis opinio, probatur sic.

Primo, quia passio, vt passio, quæ vere proprietas est, debet vere dimanare vt quid positivum per veram rationem positivam, quæ realiter emanatio dicitur à subiecto, cuius est passio; sed vnitas transcendentalis non potest dimanare ab ente, vt quid positivum per veram, & realem actionem emanationis: ergo vnitas transcendentalis non est propria, & rigorosa passio seu proprietas entis. Maior est clara apud omnes, vt videre est in risibilitate respectu hominis, in subsistentia respectu naturæ substantialis, & in luce respectu solis, quæ omnes formalitates eo quod sunt veræ proprietates, & passionem fluunt, & dimanant per veram, & realem actionem ab essentis quarum sunt passionem, & proprietates: & econtra apud omnes Theologos, vt certum habetur, omnipotentiam Dei, misericordiam, & iustitiam divinam minime esse vere, & proprie passionem, & proprietates, sed potius attributa divina, quia non dimanant, ac fluunt realiter ab essentia divina per veram, & realem emanationem: ergo.

Minor præcipua sic probatur; quia si in ente vt sic daretur vnitas, quæ vt passio positiva dimanaret vere, & realiter ab ente, etiam deberet esse eiusdem rationis in omni ente contento sub ente vt sic, vt sæpe sæpius à nobis probatum manet ex illo principio, dici de omni, unde cuiusque vnitati particulari conveniret esse propriam passionem, quæ realiter dimanaret ab essentia cuius est proprietas, & passio: ergo unitati Dei conveniret, quod dimanaret per veram, & realem actionem à Deo; sed hoc est summum absurdum, alias essentia divina produceret realiter suam vnitatem; sed quidquid producitur, ab alio producitur: ergo essentia divina esset aliud ab vnitatem divina: ergo vnitas divina esset creatura, quia quicquid est aliud à Deo absolutum, & producitur vere, & realiter à divina essentia, est creatura: atqui hæreticum est dicere attributum Dei existens in Deo esse creaturam, quia optimum definit Concilium Remense contra Gilbertum.

berthum Porretan. vbi decernit quidquid in Deo est, esse Deum.

18 Secundo probatur, quia prima, & secunda conditio proprietatis strictæ sumpta, vt patet ex notabili, est vt secundum formale illius sit positiva entitas, & quatenus talis distincta realiter ab essentia, cuius passio est: sed vnitas non est adæquate positiva, sed partim positiva, & partim negativa, & quatenus positiva est, non distinguitur realiter ab ente: ergo non est in rigore proprietatis, seu passio illius. Minor quoad primam partem iam latissime probata manet supra: secunda pars illius est clara: quia quidquid est positivum in vnitate, est ens: sed ens non distinguitur à se ipso realiter: ergo quidquid est positivum in vnitate, non potest distingui realiter ab ipso ente.

19 Dices passiones entis non solum dicere ipsam rationem entis, sed etiam aliquid aliud positivum distinctum ab ente, & ratione huius positivi additi distingui realiter ab ipso ente.

20 Sed contra: nam si passiones entis adderent positivum realiter distinctum supra ipsum ens, vel illud esset quid fictum, & inane mentis commentum, vel inde sequeretur, passiones ratione superadditi simul differre realiter, & non differre ab ente: sed vtrumque est inconueniens, & absurdum, primum quia enti reali assignarentur passiones rationis, & fictæ quod est falsum; quia semper passio proportionatur cum essentia; secundo, quia duæ propositiones contradicentes simul concederentur: ergo passiones entis, v. g. vnitas non addunt aliquid positivum à parte rei distinctum supra ens. Minor est clara, quantum ad vtramque partem, dedecet enim in primis subiecto reali tribuere proprietates rationis; tum quia passio absque interuentu alicuius rei extrinsecæ necessario conuenire debet subiecto; ens autem rationis minime confluit in rebus ab intrinseco, sed potius ope, & virtute intellectus cōfingentis illud, ac proinde ab extrinseco, tum etiam quia passiones connexionem intrinsecam, & necessariam mutuam habere debent cum subiecto, cuius sunt passiones, & subiectum cum ipsis, sed ens rationis nullam habet cum ente reali connexionem mutuam, alias si non fingeretur ens rationis, destrueretur ens reale quod est chimericum.

21 Deinde etiam eadem minor clarius constat quantum ad secundam partem, cum propositiones istæ (passiones entis positivæ realiter differunt ab ente, passiones positivæ entis realiter non differunt ab ente) pugnent secundum veritatem, & falsitatem, affirmationem, & negationem: sed vtræque necessario concedenda est ab Scoto, si semel ponantur passiones re differre ab ente; in primis enim iam ab ipso, & eius assensu conceditur, passiones ex natura rei differre ab ente. Deinde proba eandem ab ipso ex natura rei non differre. Passiones positivæ entis non solum ratione connotati, sed etiam ratione illius, quod formaliter important, reperiuntur in rebus, sed quidquid in rebus reperitur est res, vel modus rei: ergo passiones positivæ entis, vel sunt res, vel modi. Tunc sic, omnis res, & modus intrinsecè, & essentialiter imbibit in se rationem communissimam entis, quia ens est prædicatum quidditativum clausum intrinsece in ultimis rerum, & modorum differentiis; sed quidquid intrinsece, & essentialiter imbibit aliud, non distinguitur ex natura rei ab illo quod imbibit, vt ex se patet: ergo.

R. P. Ideph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

Confirmatur. Nihil est magis indistinctum ab aliquo secundum rem, quam prædicatum pertinet ad rei naturam, & quidditatem, sed ens est prædicatum pertinet ad rei naturam, & quidditatem: ergo.

Dices, rationes positivas entis ratione illius, quod formaliter addunt supra ens non esse ens, sed modos entis.

Sed contra primo, quia ita sunt modi entis, vt vere à parte rei illud efficiant, & intrinsece denominent, vereque existant; sed quod à parte rei vere existit, vere aliud afficit, vereque illud denominat, necessario aliquid esse debet; sed quod aliquid est, necessario etiam debet esse ens, quia aliquid, vel est solum, vox synonyma entis, vel vnus: ergo. Contra secundo, ens reale est illud, quod est natum existere à parte rei (per existentiam quippe extra causas dignoscimus, vtrum ens reale sit res, an solum mentis figmentum; si enim res habeat aptitudinem ad existendum, vocatur ens reale possibile, si vero existentiam actualem, ens reale actuale, & si vtræque illi repugnet, absolute, & simpliciter illam existimamus impossibilem, & non ens) sed modi illi non solum habent aptitudinem ad existendum, sed etiam actu existunt, si semel conceduntur: ergo modi illi erunt entia realia: ergo ens non distinguitur à parte rei ab ipsis modis quod est intentum. Item hæc veritas probatur omnibus argumentis, quibus supra demonstravimus, ens non posse distingui ex natura rei à differentiis inferiorum, nam illa argumenta eodem modo hanc conclusionem, ac illam probant. Deinde à fortiori probatur omnibus argumentis, quibus efficaciter demonstravimus, vnum non posse addere aliquid positivum adhuc per rationem supra ens.

Præterea, quia præciso per intellectum quocumque positivo distincto ex natura rei ab ente, manente essentia entis, cum negatione divisionis, manet omne requisitum ad esse vnus: ergo vnum non est positivum distinctum ex natura rei ab ipso ente: antecedens est clarum, quia essentia vt sic relicta sine aliquo positivo distincto ab ente, quatenus dicit negationem divisionis, non est plura: ergo est vna entitas: ergo habet omne requisitum ad esse vnus.

Si cum aliquibus respondeas, passiones positivas entis esse solum mentis nostræ cogitationes; & contra erunt, quæ adduximus ad probandum illas esse non posse entia rationis; reliquum ergo est vt ens non dicat aliquid positivum distinctum, vt constitutur in esse vnus.

SUBSECTIO II.

Secunda conclusio ponitur.

Vnum est adæquatum attributum entis vt sic; hæc sententia est pene omnium Scholasticorum; Thomistæ enim omnes cum D. Thoma, & Scotistæ cum Scoto, tandem vniuersi Societatis Doctores, vno dempto P. Vasquez in hanc veritatem vniuersi consensu conspirant.

Patet primo ex Aristotele 4. met. cap. 21. tex. 3. 27 dicente; itaque ens, & vnum idem, ac vna natura sunt, propterea quod se invicem sequuntur, quod confirmat D. Thomas ibidem lect. 2. & 1. p. q. 11. art. 1. & 2. Deinde liquet ex autoritate Pla-

tonis in Parmæ. dicentis, neque ens vni, nec vnum enti deest: sed duo hæc potius per omnia coæquantur.

- 28 Secundo probatur ratione. In ente ut sic dantur aliqua prædicata, quæ non sunt de primaria & formalissima constitutione entis; & sunt realia, v.g. unitas, veritas, & bonitas; sed hæc convertuntur cum ente: ergo unitas, veritas, &c. sunt adæquata attributa entis ut sic; maior est evidens, quia esse vnum, &c. non est tota definitio entis, nec est pars definitionis ipsius, adæquata enim eius definitio salvatur sine mentione unitatis, quod sic patet, quia ut supra diximus, duplex tantum definitio entis datur primæ, ens est, quod habet essentiam realem; secunda, ens est, quod non repugnat existere realiter; sed nec in prima, nec in secunda definitione fit mentio unitatis ac indivisionis, in qua enim particula ponitur indivisio in se in nulla quidem, quod etiam concedit P. Vasquez: ergo unitas minime est pars definitionis entis. Præterea, quia indivisio cadit supra ens, & supponit ipsum, ac proinde ens non constituitur essentialiter, & primatio ab indivisione: ergo minime pertinet unitas, vel veritas, &c. primario, & essentialiter ad ens.

Item quia omnes Theologi, & præsertim P. Vasquez, loquentes de unitate Dei, ponunt ipsam inter attributa, & non inter primaria, & formalissima constitutiva Dei, ut Deus est; sicut, & misericordiam, & iustitiam: ergo unitas ut sic non est de primaria constitutione essentiae, alias unitas divina constitueret essentiam divinam, & esset de primario conceptu illius, quia quidquid convenit superiori, convenit omni contento sub illo. Præterea, quia mens nostra prius cognoscit aliquid esse, quam indivisum esse; si enim non est ens, quomodo potest esse ens indivisum. Itaque ens est prius indiviso, & ideo hæc est vera causalitas; quia est ens, est indivisum, & quia est ens, est vnum, & non è contra, ideo est ens, quia est vnum: ergo dantur aliqua prædicata, quæ non sunt de primaria, & formalissima constitutione entis, sed potius sunt secundaria respectu ipsius; quod autem sint realia sine dubitatione est verum, quia ante omnem fictionem intellectus hæc est vera propositio; Deus est indivisus in se realiter, nullamque habet in essentia divina divisionem, & ens est intelligibile vere, quatenus est à parte rei: ergo illa prædicata sunt vera, & realia.

- 29 Minor præcipua sic probatur, quia illud prædicatum convertitur cum ente, quod convenit omni enti, & nullum datur ens, de quo non prædicetur illud; sed esse vnum convenit omni enti, & nullum est ens, de quo non prædicetur indivisio in se: ergo esse vnum convertitur cum ente. Minor sic probatur; quia à parte rei non dantur, nisi entia per se, & entia per accidens; de ente enim per se nulla potest esse dubitatio, quod illi conveniat unitas, v.g. de Angelo, homine, & Deo, & sic de cæteris, quis enim potest negare, quod Deus sit vere vnus, & quod Angelus Gabriel sit vere indivisus in se, & tandem quod homo omnem pluralitatem, & multitudinem à se excludat: ergo nullum est ens per se, cui non conveniat unitas, ac proinde de omni ente per se prædicatur illa; si autem hoc negetur ab Adversariis, ostendant nobis ipsi aliquod ens reale per se in tota latitudine entis, de quo possit cum veritate negari unitas; quod certe nullo modo ostendunt.

Si autem loquamur de ente per accidens, illud 30 est duplex; aliud, quod potius dicitur ens accidentale, quam per accidens, v.g. album, & quantum, & hoc est vere vnum, aliud est omnino per accidens, v.g. acervus lapidum, quod sic sumptum vocatur multitudo; sed hoc non est ens, sed multa entia divisa, & distincta, imò fictitè vocarentur ens sicut multitudo hominum non est homo, sed potius sunt multi homines similes in ratione hominis; ita similiter multa entia non sunt ens, sed plura, & convenientia, aut similia in esse entis realis; ita in tantum non sunt vnum, in quantum non sunt ens; nam in tantum sunt multa formaliter secundum sententiam P. Vasquez, in quantum dicunt carentiam unionis, vel unitatis, & ideo unitas, quæ opponitur formaliter multitudini, consistit in sententia huius Authoris in positivo, quia est negatio negationis, quæ formaliter constituit multitudinem; sed propter negationem positivæ formalitatis non potest multitudo constitui in esse entis: ergo. Prima pars huius minoris sic patet; quia maior est ipsa conclusio Patris Vasquez, & sic demonstratur; quia illud, quod formaliter est sub opposito contradictorio entis, non est ens formaliter, sicut illud, quod est sub opposito contradictorio hominis, non potest dici homo, quia vnum oppositum contradictorium nihil participat de alio, alias non esset maxima, & summa disconvenientia inter illa; sed illud quod minime est ens, & est sub contradictorio entis, nullo modo potest constituere aliquid in esse entis; quia iam vnum contradictorium non destrueret aliud, sed potius esset de essentia alterius, & sic duo contradictoria essent simul in eodem, ex quo sequeretur esse, & non esse contradictoria; quia de essentia contradicentium est, ut non sint, nec verificentur simul de eodem; atqui constitutum, & constitutum sunt simul, v.g. animal, & homo: ergo si illa duo contradictoria se habent ut constitutum, & constitutum, verificabuntur simul de eodem.

Tunc sic: negatio, & privatio opposita positivo, & quatenus carentia positivi est, est sub contradictorio entis positivi ut sic, quia sicut negatio entis ut sic est contradictorium illius, sic similiter talis negatio entis positivi est contradictorium ipsius; unde necessario erit inferius contentum sub contradictorio entis ut sic; sed constitutum multitudinis formaliter est carentia, seu negatio positivi: ergo est sub contradictorio entis ut sic: ergo non potest constituere multitudinem in esse entis, alias id quod est sub vno contradictorio, constitueret inferius alterius contradictorio, quod est falsum; ideo enim tenebræ non possunt constituere quantitatem in esse quantitatis, quia quantitas in esse quantitatis est quid positivum contentum sub ente ut sic opposito contradictorie negationi ut sic, sub qua continentur tenebræ; sed carentia unitatis positivæ est sub negatione ut sic immediate opposita enti ut sic: ergo non potest constituere multitudinem in esse entis: ergo si multitudo non habet unitatem, ideo erit, quia in esse multitudinis non est ens formaliter, quare si esset ens, sine dubio haberet unitatem; quod patet manifeste in vnaquaque parte multitudinis, quæ eo ipso, quod est ens habet unitatem.

Dices, in mea sententia multitudinem ultimo, & formaliter constitui non per carentiam, sed per

per relationes divisionis, ac proinde multitudinem esse ens.

32 Sed contra; quia neque per tales relationes potest multitudo constitui in esse entis, quia obiectum huius nominis ens, quatenus per hoc nomen, & conceptum significatur, nullam dicit oppositionem, & diversitatem, ut supra longe probavimus, imo si dicit aliquid, potius est simpliciter unitas, & convenientia, quam diversitas, & oppositio; unde intellectus quando concipit ens sub hoc nomine, non disgregatur, nec dividitur in opposita, sed potius colligitur in vnum simpliciter; sicut quando intellectus cognoscit obiectum sub hoc conceptu, animal, concipit illud ut vnum sine ulla diversitate, & oppositione. Ita similiter in nostro casu; unde dum dicimus, homo, & equus sunt ens formaliter, vel conveniunt in ratione entis, illud, in quo conveniunt, solum unitatem sine diversitate dicit, ac proinde multo minus sine inclusionem oppositionum. Itaque ens simpliciter in ratione entis neque oppositionem, neque diversitatem continet; sed si relationibus divisionis constitueretur multitudo in esse entis, illa entia, quæ multitudo sunt, constituerentur in esse oppositorum, & maxime disconvenientium: ergo illa multitudo non constituitur in esse entis per illas relationes: minor sic probatur; quia relationes ut relationes, & præcipue relationes distinctionis, & diversitatis sunt oppositiones relative formaliter; sed oppositio ut oppositio est, constituit in esse oppositi, ut albedo quatenus albedo in esse albi: ergo relationes illæ, quæ sunt oppositiones formaliter, relative constituunt subiecta, in quibus sunt, & quorum formæ sunt in esse oppositorum formaliter, quia ubi est forma, ibi est effectus, vel quasi effectus illius: sed illa entia, quæ sunt, & vocantur multitudo, sunt subiecta illarum oppositionum relativarum; ergo ergo propterea, & quatenus formaliter recipiunt, & habent illas relationes, dicunt oppositionem: ergo non constituuntur in esse entis, ubi nulla est oppositio, nec disconvenientia.

33 Præterea, quia si ipsæ entitates materiales ex parte sua quatenus distinguuntur à relationibus, non sunt ens, nullo modo possunt formaliter constitui per illas relationes in esse entis, quia tam multitudo est illa pluralitas relationum, quæ pluralitas entium materialium; unde si subiecta illa materialia ex eo quod divisa, & distincta sunt, nullamque habent unionem nec compositionis, nec identitatis, non sunt ens, à fortiori non erunt ens ipsæ relationes, quia non solum carent unionem compositionis, vel identitatis, sed sunt oppositæ, imo ipsæ oppositiones ut dixi: ergo à fortiori non potest constitui multitudo per illas relationes in esse entis.

34 Sed demus, quod multitudo, ut multitudo sit ens eo modo quo est ens, est vnum nā certum est non posse esse ens per se, sed in sententia omnium est ens per accidens, id est ens secundum quid; sic etiam est vnum secundum quid, nam hæc multitudo, & illa faciunt duas multitudines, & cum alia faciunt numerum ternarium multitudinum; sed partes numeri sunt unitates ut in arithmetica est principium certissimum: ergo vnaquæque multitudo, quæ est pars numeri ternarij eo modo, quo est ens habet unitatem: ergo vnum convenit omni enti.

35 Consequentia primi, & præcipui syllogismi est evidens, quia illud, quod est secundarium prædi-

catum adæquate non distinctum ab essentia, & convertitur cum illa est adæquatum attributum illius; sed vnum transcendente est huiusmodi, ut probatum manet: ergo est adæquatum attributum entis.

Tertio probatur ratione, si unitas non adæquetur enti, non esset vere attributum illius, sed vnum ut probabitur tertia conclusione, & concedit ipse P. Vasquez attributum entis. Probatur maior primo; quia omne attributum debet habere necessariam connexionem cum subiecto, cuius est attributum; sed omne illud, quod habet necessariam connexionem cum aliquo subiecto, adæquatur cum illo, præcipue si connexio sit mutua ex parte utriusque, ut est connexio inter attributum, & essentiam: ergo omne attributum adæquatur cum subiecto, cuius est attributum; maior constat ut videre est in rugilitate, & leone, & ceteris passionibus; minor etiam est evidens; ideo enim risibilitas adæquatur cum homine, quia habet mutua, ac necessariam connexionem cum illo: ergo omne illud, quod habet mutua necessariam connexionem cum aliquo, tanquam proprium prædicatum illius, adæquatur cum illo. Secundo probatur eadem maior; si vnum non adæquaretur cum ente secundum principia P. Vasquez, sine dubio esset inferius entis: ergo non esset attributum illius; consequentia est manifesta: nullus enim potest dicere Angelum esse attributum substantiæ ut sic, neque villos potest asserere hominem esse attributum animalis, & non propter aliam rationem, nisi quia homo est inferior animalis, & Angelus est inferior substantiæ: ergo. Probatur antecedens; illud, quod includit essentialiter aliquod prædicatum, & convenit cum alijs distinctis realiter in eodem prædicato, est inferius respectu talis prædicati; sed unitas ita se haberet respectu entis, supposita sententia contraria: ergo esset inferius illius: Maior est evidens ex supradictis, quæstione *Vtrum Unitas addat aliquid positivum supra ens*; Minor est clara, & in primis quantum ad primam partem, quia omne illud, quod est positivum essentialiter, includit ens; sed vnum est quid positivum, ut non solum sentit, sed late probat ipse Vasquez: ergo essentialiter includit ens. Maior late probatur, ut certissima à Patre Vazq. qui contra Scotum asserit ens non distingui ex natura rei à suis attributis positivis, & differentijs, præcipue quia ipse docet negationem, quam addit ens ut constituatur in esse unius, non esse veram negationem, sed potius positivum explicatum per illam, consequentia legitime inferitur in Darij.

Deinde probatur eadem minor quantum ad secundam partem, videlicet quod unitas conveniat cum aliquo realiter distincto in ratione entis, quia unitas, & multitudo distinguuntur realiter, eo quod in sententia Parris Vasquez sunt oppositæ contrariæ; sed unitas convenit cum multitudine in ratione entis: ergo unitas convenit cum aliquo realiter distincto in ratione entis. Probatur minor, illa conveniunt in aliquo prædicato, quæ participant intrinsece, & essentialiter tale prædicatum, & illud affirmatur de illis intrinsece, & realiter: sed unitas, & multitudo participant intrinsece, & essentialiter rationem entis, & ideo asserit Pater Vasq. non solum vnum, sed etiam multitudinem vere esse, & existere à parte rei: ergo conveniunt intrinsece in ratione entis: ergo ens est superius respectu unitatis, & multitudinis. Patet consequentia; ideo ens est superius respectu substantiæ,

& accidentis, quia substantia, & accidens participant intrinsece, & essentialiter rationem entis, & ens latius patet quam unumquodque ex illis: sed unitas, & multitudo participant intrinsece, & essentialiter rationem entis, & ens latius patet, quam unum seorsim, & quam multitudo divisim: ergo sunt inferiora entis: ergo unitas non est attributum illius.

38 Ultimo probatur principaliter; quia ens ut sic abstractum ab omni ente habet rationem formalem unitatis: ergo est vere unum, & unitas adequatur cum illo; antecedens sic probatur, quia illa ratio entis ut præcisa est tota simpliciter convenientia, & est simpliciter abstracta à quacunque differentia, & ratione dividente, & separante illam rationem entis; ita ut absolute indivisa sit, & tota, & adequata sine divisione consistat, quia ubi nulla est ratio formalis dividendi, nulla debet dari divisio; consequentia est manifesta, quia illud est prædicatum adequatum alicuius, quod ita affirmatur de illo, ut nihil sit in illo, de quo possit negari, & necessario debet prædicari: sed quidquid est in ente, est indivisum, & nihil est in illo de quo possit negari indivisio in se, quia quidquid est in ente, est præcise ab omni ratione dividente: ergo ens adequatum, & totaliter est unum, ac proinde unitas adequatur cum illo.

Vergetur; quia vel ens est divisum in suo esse primo intentionali, vel non; si est divisum, & est superius: ergo illa ratio superior non est præcisa ab omni differentia: patet consequentia, quia nihil potest dividere aliquid subiectum nisi ratio distinguendi, & dividendi illud; sed ratio distinguendi, & dividendi rationem superiorem est differentia, ut late probavimus supra loquentes de præcisione entis: ergo differentia est, quæ dividit illam rationem; sed differentia non dividit, nisi existendo in ratione divisa, quia nulla forma tribuit effectum formalem intrinsecum, subiecto, in quo non est intrinsece talis forma: ergo si ratio entis dividitur à differentiis, sine dubio differentie erunt in ente, ac per consequens ens non erit præcise ab illis: sed est præcise ut supra probavimus late: ergo non est divisum. Deinde quia id, quod convenit superiori, convenit omni contento sub illo; sed enti, quod est superius respectu hominis, Angelis, & Dei convenit divisio realis: ergo illa divisio convenit homini, Angelo, & Deo, unde Deus erit divisus in partes; sed hoc non est dicendum: ergo non est concedendum ens secundum se esse divisum: ergo dicendum est, non esse divisum: ergo unum, quia quod non est divisum non est plura, sed unum.

SVBSECTIO III.

Ultima conclusio ponitur.

39 Vnum est proprie attributum entis; est communis sententia inter Doctores, vno excepto Patre Hurtado, eam docet, & probat Aristoteles 4. metaph. cap. 2. tex. 3. & 10. metaph. cap. 3. tex. 4. 6. & 8. & 12. metaph. cap. 2. hanc sententiam defendit etiam D. Thomas 1. p. q. 11. art. 1. ad secundum, & in corpore, & super quintum metaph. Aristotelis, lect. 8. & ubique agit de unitate.

40 Probatur primo ratione, quia omnis vera, & propria essentia debet habere vera, & propria attributa, seu proprietates: sed ens est vera, & pro-

pria essentia ut sic, imo nulla dicitur propria essentia, nisi illa, quæ est, & includit essentialiter ens: ergo ens debet habere vera, & propria attributa, &c. sed nulla alia attributa dantur in ente nec possunt esse, præter ea, quæ ab omnibus Doctoribus assignantur, primo Vnum, deinde Verum, ac tandem Bonum; vel si velis omnia quæ includuntur in hac particula *Rebus*, videlicet, res, aliquid, unum; ita ut primum locum in sententia omnium recte sententium de attributis habeat unitas: ergo unum est proprie attributum entis.

41 Maior est evidens discurrendo per omnia entia particularia, incipiendo à Deo (qui ex eo quod verum, & propriam essentiam habet, continet vera, & propria attributa) usque ad infimam, & minutissimam creaturam, in quibus omnibus reperimus attributa propria, seu passiones naturæ, & essentie uniuscuiusque accommodata sine exceptione aliqua; imo si inductio fiat per gradus omnes inferiores ente, hæc veritas manifeste patet; nam substantia habet pro proprietate subsistentiam, accidens, in hærentiam, corpus, quantitatē, vivens, potentias vitales, substantia spiritalis potentias intellectuales, animal potentias sensitivas, homo risibilitatem, &c. sed non est maior ratio, cur omnes gradus tam inferiores, quam superiores habeant propria attributa, vel passiones, quam ens, neque poterit assignari ab Adversariis: ergo ens etiam habet illa.

42 Adequata autem ratio huius est; quia essentia in vnaquaque re est primum, & intimum constitutum illius, ex quo tanquam à radice immediate vel formaliter, vel virtualiter pullulant aliqua secunda prædicata, tanquam exercitium adequatum essentie; unde si essentia propria est, etiam exercitium illius proprium est, quo ultimo in actu primo perfecta est essentia; sed huiusmodi prædicata sunt attributa, vel proprietates: ergo in omni vera essentia datur vera proprietates seu attributum. Secunda ratio est, quia res in actu primo non solum primario, proprie, & essentialiter distinguitur à suo opposito, sed etiam secundario, ut videre est in Deo, qui distinguitur à creatura primo per essentiam à se, secundario per omnipotentiam, infinitudinem, omniscientiam; creatura distinguitur à Deo primo per esse ab alio, secundo per finitudinem, & alias imperfectiones consequatas ad tale esse; homo primo distinguitur à bruto per gradum rationalem, secundario per risibilitatem, & admirabilitatem, & hoc est certum, & ratum, sine exceptione in omnibus, ut discurrenti patebit; illud primarium vocatur essentia, illud secundarium vocatur passio, vel attributum.

43 De his omnibus sive individuis, sive gradibus communibus interrogo, cur habeant propria attributa seu passiones per quæ secundario proprie constituantur, & distinguantur? nulla certe ratio potest tribui huius, nisi quia hæc omnia habent veram, & propriam essentiam, ad quam consequitur secundarium prædicatum, quod est proprietas, seu attributum: sed ens debet habere veram, & propriam essentiam: ergo ens debet habere vera, & propria attributa, seu passiones, quæ virtualiter saltem fluant ab ipso per quæ sine fictione in actu primo tanquam per exercitium adequatum entis constituatur, & compleatur, & per quod distinguatur secundario; sed hoc totum convenit unitati, veritati, & bonitati ut ex secunda ratio-

ne amplius patebit : ergo vnitas, veritas, & bonitas sunt vera, & propria attributa entis.

44 Deinde ens distinguitur primario per non repugnantiam ad existendum realiter à nihilo, & à chimæra; secundario per vnitatem realem, bonitatem realem, &c. quia nihil non est vnum reale, sicut nec verum, & bonum realiter: præcipue quia nulli enti in particulari debentur tanquam attributa propria tria hæc, quia latius patet vnitas in tota sua latitudine, &c. quam vnumquodque particulare: ergo debentur enti, tanquam propria attributa illius.

45 Vgetur amplius, quia omnia illa prædicata, in quibus conveniunt omnia inferiora entis, possunt abstrahi de omnibus inferioribus; & prædicari de superiori; v. g. quia omnia individua hominis non solum conveniunt in rationalitate, sed etiam in risibilitate, non solum rationalitas abstrahitur ab illis, sed etiam risibilitas, & prædicatur de homine, cum hoc ordine, vt rationalitas primario conveniat homini, secundario risibilitas, quia eo modo conveniunt prædicata superiori, quo conveniunt inferioribus; à quibus abstrahuntur illa; vnde cum rationalitas primario conveniat individuis, secundario risibilitas, simili ordine conveniant homini superiori respectu omnium individuorum naturæ humanæ.

46 Sed omnia inferiora entis vt sic conveniunt vere, & realiter, non solum in habere essentiam primario, sed etiam in habere secundario attributa, vel passiones vera, & propria, hoc est in habere secundarium conceptum, quod vel formaliter, vel virtualiter fluat ab essentia: ergo ab omnibus illis potest abstrahi, non solum primaria ratio essentiae, sed etiam vera, & propria ratio attributi, vel passionis, quæ attribuitur enti vt sic; atqui non sunt aliæ passionis, vel attributa, in quibus omnia entia conveniant vere, & realiter, nisi in vnitatem, veritatem, & bonitatem: ergo hæc rationes abstrahuntur ab entibus, tanquam vera, & propria attributa, quæ prædicentur, & affinentur de ente: ergo ens vt sic habet præ veris, & proprijs attributis vnitatem, veritatem, & bonitatem.

47 Secundo, principaliter sic argumentor; quia omne prædicatum quod vere, & proprie convenit alicui subiecto, & consequitur ad illius primam constitutionem, recipiendo se cum ipso; sed huiusmodi est vnum respectu entis: ergo vnum est proprium attributum eius; maior, & minor probatæ sunt iam prima conclusione, quia vnitas non est de essentia entis, supponit enim ens, & convenit omni enti: ergo vnum est adæquatum prædicatum secundarium entis.

48 Confirmatur, quia vnitas Dei, v. g. hominis, & reliquorum individuorum conveniunt non solum in ratione indivisionis, sed etiam in ratione secundarij conceptus; qui sequitur ad primarium, & tribuitur ipsi; nam si interroges, quæ sit essentia Dei, non poteris asserere esse vnitatem divinam, sed potius divinitatem; seu entitatem à se omnino independentem, & idem est etiam in homine; quare si interroges, cuius sit vnitas divina, respondebis divinitatis, cui debet attribui, neque poteris e contra dicere, divinitas est vnitatis divinæ: ergo vnitas est conceptus secundarius essentiae, quod sic manifeste patet, quia id quod est dependens ab alio, est posterius

ipso, & quod est independent, est prius illo, ideo enim omnis creatura est secundarium ens respectu Dei, quia dependet ab ipso, & Deus est primum ens, quia est independent, & idem est in accidenti respectu substantiæ, sed vnitas dependet in sui cognitione ab ente, & ens in sui cognitione non dependet ab vnitatem: ergo vnitas est posterior ente, & ens est prius illa, sicut risibilitas est posterior in sui cognitione rationalitate, quia dependet in illa à rationalitate; minor illa sic probatur. Ab eo, quod ponitur in definitione alicuius dependet illud in sui cognitione; sed in definitione vnitatis ponitur ens, dum dicimus, vnum est ens indivisum in se; e contra vero in definitione entis nullo modo ponitur vnitas, vt patet ex supradictis: ergo vnitas dependet ab ente in sui cognitione, & ens non dependet ab vno, præcipue, quia indivisio non potest per se sola esse, sed potius debet cadere supra aliquod esse, vt ex terminis ipsis patet, quia si indivisio est, alicuius entis indivisio est; vnde indivisio illa enuntiat per modum alteri adiacentis; nam concipitur, aut per modum negationis, aut per modum accidentis; atqui negatio, vel accidens supponit esse, cui tanquam secundarius conceptus adveniat: ergo vnitas est secundarius conceptus entis; & ex alio capite convenit omni enti: ergo sine dubio est attributum, seu passio entis; ideo enim quantitas est passio corporis, quia secundario convenit corpori, & convenit omnibus corporibus, ac proinde recipitur cum corpore; sed vnitas convenit secundario enti, & convenit omni enti, quia omne ens existens à parte rei est indivisum in se, ac proinde est vnum: ergo attributum.

Dices, vnum solum deficere à ratione propria attributi entis, licet habeat omnia requisita ad hoc, quia distinguitur in re ab ente; negatio enim in re non est ens: sed indivisio per nos est negatio, & indivisio est vnum: ergo vnum in re non est idem, quod ens.

Sed contra, quia vnum dupliciter potest concipi, inadæquate solum secundum id quod formaliter addit supra ens, vel adæquate secundum totum, quod dicit; si adæquate sumatur vnum, adæquate, & totaliter non distinguitur ab ente in re; solum enim distinguitur distinctione includentis ab incluso, quia vnum adæquate non solum dicit negationem, licet solum addat illam, sed etiam dicit ipsum ens, à quo ens ipsum nec realiter, nec ratione distinguitur. Itaque vnum non solum est negatio divisionis essentialiter, sed etiam est ens indivisum, ex quo sequitur vt falsum vnum distingui in re ab ente distinctione necessaria ad proprietatem, quatenus proprietates distinguitur ab attributo, quia talis distinctio debet esse adæquata inter excludens, & exclusum, vt videre est in substantia respectu substantiæ, in inhaerentia respectu accidentis, in quantitate respectu corporis, in potentijs vitalibus, & sensitivis respectu animalis, ac tandem, in risibilitate respectu hominis: si autem inadæquate sumatur vnum secundum negationem additam de formali supra ens, dici potest formaliter differre, non quidem ratione formali positiva, sed negativa; vnde hæc distinctio erit tanquam entis à non ente, quam Pater Suarez in responsione quam affert radicalem vocat his verbis ex D. Thoma in opusculo respondeo vnum distingui ab ente radicaliter, vt sic dicam, ratione negationis, quam

quam superaddit enti, formaliter vero non distingui per negationem, tanquam per formam vnius, sed per entitatem indivisam, quia ens de formali dicitur entitatem ut sic, vnum vero dicitur de formali eandem entitatem ut indivisam; sic ille, & ideo Aristoteles dicit, vnum, & ens dicere eandem naturam quantum ad totum positivum, quod utrumque includit, ens scilicet, & vnum, quod recte exponitur negativè, scilicet vnum non dicitur aliam naturam, utique positivam ab ente, sicut idem Aristoteles *lib. 1. Phys. cap. 7.* dixit materiam, & privationem esse idem, scilicet negativè, quia privatio non dicitur rem à materia distinctam; sic ergo in presenti dici facile potest, vnum adhuc respectu additi esse idem negativè cum ente, quia illud additum non est alia natura nec aliquid positivum distinctum ab ipso ente, præcipue cum licet ens addat de formali negationem per eam nos explicare realem positivam perfectionem entis, non secundum aliquid reale superadditum ipsi enti; sed secundum ipsammet formalem, seu essentiali rationem entis, quod expresse asseruit Aristoteles *4. met. cap. 2.* dicens, ens, & vnum esse idem, & nihilominus non idem formaliter significare, quia nimirum vnum de formali addit negationem, quam non dicit ens, per eam vero nihil aliud explicatur, quam ipsamet natura entis, sæpe enim id, quod formaliter significatur, est negativum, per illud autem à nobis explicatur positiva realis perfectio rei, ut v. g. simplicitas, quæ à nobis significatur, & assignatur, ut attributum Dei, vel quorundam aliorum entium; in suo gradu formaliter addit negationem compositionis, secundum vero probabilissimam opinionem per eam nos explicamus talem modum, vel perfectionem rei simplicis; ex quibus sequitur necessario minime vnum proprie distingui ex natura rei ab ente, adhuc inadæquate, quia hoc indicat distinctionem in natura reali fundatam quod non habet negatio, cum non sit natura; unde absolute, & simpliciter neque adæquate, neque inadæquate distinguitur ens ab vno; & adæquate & totaliter, nec secundum quid eo modo, quo explicuimus; inadæquate autem potest aliquomodo distingui, sed maxime diminute, quæ distinctio non tollit proprietatem attributi, ut fatentur tum omnes Theologi loquentes de attributis divinis, tum etiam metaphysici hic.

¶ Ultimo sic probatur, quia metaphysica, quæ est realis, ac vera scientia, demonstrat de ente unitatem, veritatem, &c. non autem demonstrat aliquid ab intellectu fictum, quia hæc attributa vera non pendent ex fictione intellectus, sed absolute, & ante omnem intellectus considerationem enti ipsi conveniunt; sed vera, & propria scientia demonstrat de suo vero, & proprio subiecto vera, & propria attributa, ut Theologia de Deo, Philosophia de ente naturali, Mathematica de quantitate, &c. ergo metaphysica, quæ est vera, & propria scientia, & habet vere, & proprie subiectum, quod est ens, vera, & propria attributa debet demonstrare de ipso; atqui non sunt talia, ut discurranti parebit præter unitatem, veritatem, &c. ergo veritas est vere, & proprie attributum, sicut, & unitas.

SECTIO ULTIMA.

Argumenta adversaria solvuntur.

AD primum argumentum Patris Vasquez respondeo cum D. Thoma, *1. p. q. 11. art. 1. ad 2.* dicendo quod id, quod est vno modo indivisum, alio modo potest esse divisum, & quod sub vna ratione est multa, sub alia esse posse vnum, & hac ratione inquit ens dividitur per vnum, & multa, tanquam per vnum simpliciter, & multa secundum quid; nam, & ipsa multitudo non continetur sub ente, nisi contineretur aliquomodo sub vno, assertque D. Dionysium ultimo *cap. de divinis nominibus* dicentem non esse multitudinem, quæ non participet aliquomodo unitatem, nam quæ sunt multa partibus, sunt vnum toto, & quæ sunt multa accidentibus, sunt vnum subiecto, ex qua responsione, ut ait P. Suarez, intelligitur primo formaliter, & proprie loquendo ens non dividi in multa, ut multa sunt actu, & formaliter, quia huiusmodi multa, quatenus talia sunt, re vera non sunt ens, sed entia; duplici ergo modo potest multitudo poni in divisione entis, primo si non intelligatur de multitudine actuali, id est actu divisa, quæ sola proprie est multitudo ut constat ex Aristotele *1. met. cap. 13. tex. 18.* sed de multitudine in potentia tantum; quomodo in continuo dicitur esse multitudo partium integrantium, aut partium essentialium; & hoc videtur intellexisse D. Thomam esse divisionem, cum dixit, ens dividi per vnum, & multa, tanquam per vnum simpliciter, & multa secundum quid, nam illud est vnum simpliciter in quo non sunt multa actu divisa, seu distincta, sed potentia tantum. Unde in hoc sensu membra hæc per se loquendo non est necesse re distingui, sed ratione tantum; idem namque ens, quod est vnum simpliciter est multa secundum quid, seu in potentia, ut in exemplis positum constat; nam si velimus ea membra cum præcisione seu exclusionem intelligere, hoc modo, aliquid ens ita esse vnum ut nullo modo sit multa; neque actu, neque potentia, aliud vero ita esse vnum, ut sit etiam multa secundum quid, seu potentia, aut accidentaliter, quo sensu coincidit illa divisio cum divisione entis, seu vnius in simplex, & compositum, & iuxta hanc interpretationem rationem facile constat, divisionem hanc nihil obstat adæquationi entis, & vnius; nam illa multitudo non excludit unitatem simpliciter. Denique in hoc sensu potest intelligi in ea divisione partiri ens, non ut commune est ad ens per se, & per accidens, sed ipsum ens per se, quia inter entia per se dantur aliqua, quæ licet sint vnum actu, possunt tamen esse multa potestate.

¶ Alio vero modo potest illa divisio exponi de multitudine simpliciter, ac proprie quomodo videtur intellexisse Caietanus, cum ait illa verba D. Thomæ *dicta solutione ad 2.* ens dividi per vnum, & multa tanquam per vnum simpliciter, & multa secundum quid, ita esse intelligenda, ut simpliciter, & secundum quid non cadant supra vnum, & multa, sed supra Verbum divinitur, id est ita dividitur ens per vnum, & multa, ut vnum simpliciter sit ens, multa vero so-

Quaest. I. Quid sit Vnitas numerica. 273

lum secundum quid; atque hoc modo est contra-
rio dicendum est multitudinem poni in divisione
entis quatenus contingit, ea quae sunt multa sim-
pliciter esse vnum secundum quid; unde aliud
membrum intelligitur de vno simpliciter abso-
lute, atque hoc sensu membra illa non ratione
tantum, sed re ipsa distinguuntur semper, quia
includunt oppositionem contradictoriam, seu
privativam, nam multa simpliciter sunt, quae
actu sunt divisa; vnum autem, quod non est actu
divisum in se, & iuxta hunc sensum coincidit
haec divisio etiam cum ea, qua ens dividitur in
vnum simpliciter, & vnum secundum quid; nam
multa simpliciter non dividuntur ens, nisi quate-
nus sunt vnum secundum quid, quo etiam fit, ut
divisum in hac divisione non sit ens pro se, sed
quod dividitur in ens per se, & per accidens;
nam omne ens per se est vnum per se, id est sim-
pliciter, multa autem non dicuntur vnum secun-
dum quid, nisi quatenus ens aliquid per acci-
dens componunt, & ita non possunt in divisione
entis poni, nisi saltem sub ratione entis per acci-
dens: ergo divisum in ea divisione non potest
esse ens per se; nam repugneret vni membro, &
converteretur cum alio: debet ergo esse ens ab-
strahens & per se, & per accidens; atque ita tan-
dem intelligitur quomodo praedicta divisio non
repugnet adaequationi vnius, & entis, nam ad
eam spectat, ut ita vnum quodque sit vnum si-
cut est ens, ita ut si fuerit ens per se, sit etiam
vnum per se si vero sit ens per accidens, sit etiam
vnum per accidens, & sicut ens abstracte signi-
ficatur, ita & vnum, & ita sicut ens in hoc sen-
su dividitur in vnum, & multa, ita & ipsum vnum
potest eodem modo dividi; nam ut dixi perinde
est ac si dividatur in vnum simpliciter.

Ad confirmationem patet ex dictis ad pri-
mum.

14 Ad secundum concedo maiorem, & nego mi-
norem, & ad probationem illius nego maiorem,
quia non convenit ens reale multitudinis; sed en-
tia realia, sicut multitudini hominum non con-
venit homo, sed conveniunt homines, & sicut
illi convenit non ens reale, sed entia realia, ita
non convenit vnitas, sed unitates, sicut multitu-
di hominum non convenit risibilitas, sed risibi-
litates, quod sufficit ut aliquid attributum con-
vertatur cum ratione aliqua superiori, ut pro-
batum est, & ad probationem illius nego maio-
rem, quia multitudo sunt aliqua, & non aliquid,
sicut sunt entia, & non ens quod sufficit ut non
sit nihil, aut signum rationis; & ratio hu-
ius est evidens, quia multitudini solum conve-
nit id, quod convenit partibus illius, cum inter
illas nulla detur vnio, sed partibus multitudi-
nis solum convenit esse entia, & esse aliqua: er-
go multitudini solum convenit esse entia, & esse
aliqua: ergo non convenit esse ens, & aliquid;
ergo cuiusque convenit ratio entis convenit
ratio vnius, ac proinde esse vnum, & ens recipro-
cantur & convertuntur.

15 Ad primum secundae sententiae responderetur
distinguendo maiorem, pro formali adaequate
concedo; in adaequate, nego ut supra explicui-
mus, si autem in adaequate etiam ut explicatum
est in prima ratione secundae conclusionis; unde
ex ibi dictis patet ad hoc: ad minorem distinguo,
negative, nego; positive, concedo. Ad probatio-
nem maiorem concedo eo modo, ut in maiori, at-
R.P. Ildeph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

tributum distingui solum secundum rationem
positivam, connotando illius negationem, con-
cedo; secundum negationem praecise, nego; licet
enim ens non distinguatur adhuc ratione ab ipso
ente, sed ipsum ens ut connotat negationem di-
stinguitur a se ipso praecise.

Ad confirmationem respondeo concedendo
primam partem maioris, & secundam, ubi dicit,
solo nostro, &c. quoad positivum cum conno-
tatione, concedo, secundum adaequatam rationem
nego.

Ad secundum respondeo, attributum positivum
adaequate, concedo, attributum addens negatio-
nem realem nego; Item negatur ut falsum, quod
risibilitas praedicatur de rationalitate, quia ra-
tionalitas est substantia realiter, risibilitas acci-
dens realiter; sed accidens reale non potest
praedicari ullo modo de substantia reali: ergo.

Ad ultimum, quod vocatur evidens, & quo di-
citur premi Suarez, respondeo negando maio-
rem; quia sicut positivum actuale entis rationis
est ens rationis, ita etiam negatio actualis quae
consequitur ad ens rationis est negatio rationis;
v.g. negatio quam dicit chimera identitatis cum
hircoservo, vel, ut clarius loquar, cum univer-
sali formaliter, quid enim aliud est illa negatio,
quam ens rationis negativum. Item negatio al-
bedinis, quae potest concipi in chimera, dum sus-
ca concipitur, & caecitas, quae in tragelapho sin-
gitur, & ratio evidens a priori est, quia adhuc ne-
gatio quae cunctis actualis, quae est in ente ratio-
nis non resultat realiter a parte rei; ergo resul-
tat per rationem: ergo est ens rationis, cum nul-
lum esse habeat a parte rei, sed totum per ratio-
nem. Item quia accessorium sequitur princi-
pale, & affectio sequitur rem, cuius affectio est
sed positivum illud, quod est principaliter, est
ens rationis: ergo negatio, quae accessorium est,
& fundatur in ipso ente rationis, non poterit esse
a parte rei, sed per rationem, & fictitia; sicut
negatio, quae est in ente reali a parte rei, quate-
nus ens reale est, non est negatio rationis, sed rea-
lis: ergo licet illa negatio sit negatio, non con-
veniet univoce cum negatione reali unitatis,
quia reale, & rationis non conveniunt univoce,
sive positiva sint, sive negativa, quia non datur
maior ratio vnius, quam alterius.

Ad probationem respondeo negando, quod
negatio, quae sequitur ad ens positivum sit pu-
rum nihil, quia purum nihil est, quod nullam
connexionem habet cum ente reali positivo; ne-
que sequitur ad illud, ut dilucide explicatum fuit
in Logica, ubi breviter distinctionem puri nihil
ab ente reali, sive positivo, sive negativo, &
ente rationis tradidimus. Item negatur ultima
pars illius argumenti, quia negatio realis mini-
me ordinatur ad ens rationis; ut fundetur in ente
rationis; unde negatio realis ad ens reale, ut ad
fundamentum ordinatur; sicut negatio rationis
ad ens rationis.

M m DISPVT.